



ARgunthes corporis & animi fortitudine apud Oriētales Germanos in magno pretio fuit. Eum itaq; Daci, qui & Getæ dicuntur, sibi regem creant. Populus ille iam inde à Traiani Cæsaris temporibus quiete uixerat, atq; sese intra suos limites cōtinuerat. Verùm Argunthes Romanorum superbiam pertesus, coniunctis sibi finitimis Germanis, Vādalis, Gepidis, Sueuis, Marcomannis, & Boijs, transito Danubio pacem turbat, atque Mœsias & Tracias Romanorum prouincias populatur. Deinde Magnopolim caput Mœsiarum obsident, & obsessi pacem auro redimunt. Itaq; Misithæus Gordiani Augusti socer, & prætorij præfectus territus, solita stipendia, quę sibi diminuta conquerebantur, pollicitus, cum eis pacem foedusq; icit. Vnde Gothi ingenti præda potiti cum suis incolumes domum reuersi sunt. Hoc initium fuit belli Gothici, quod postea continenter per multos annos cum omnibus ferè Romanis Imperatoribus gestum est, donec tandem Gothi Italia, Roma urbe, & ipsa Hispania potiti fuerunt. Verùm hoc tempore anno ducentesimo quadragesimo Misitheï opera Germania pacata fuit.